



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Hermannii Conringii De Antiquitatibus Academicis
Dissertationes**

Conring, Hermann

Helmestadii, 1674

Svpplementvm XXXIV. Ad pag. LXVI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12929

Praefatus quoq; Heroldus ex suis aliquos sub eorum cura erudiendos posuit. Sic q; factum est, ut scholam inibi parvo tempore statuerint duodecim aut eo amplius puerorum. Similem puerilem lumen literarium Hamburgi ab Anschario esse institutum, narratur capite 14. ut & apud Waldonem, qui rudi carmine vitam Anscharii est persecutus, cap. 34. Adhoc ipse Anscharius sanctis potius fuit annumerandus quam doctis: imo à doctrina nullam meruit laudationem. Quantumvis vero tenuis adeo fuerit & Anscharii & aliorum in studiis profectus, verumtamen unus Rabanus Germaniae nostrae potest esse pro omnibus ævi illius, quarumcunque etiam gentium Occidentalis Ecclesiae.

SUPPLEMENTVM XXXIV.

Ad pag. LXVI.

Regulam Monachorum sive Canonorum, quæ Augustini nomen præ se gerit, esse illius autoris, malo equidem nunc potius negare quam asserere. Quoniam non tantum in Possidii Indiculo aut Retractationum libello ipsiusmet Augustini, sed nec in quoquam scriptore vetustiore alio ejus sit mentio: eoq; nec in Codice illo, quo colligit omnes antiquas Monasticas Regulas seculo nono Christiano Benedictus Abbas Anianensis (quem Romæ curante Luca Holstenio editum, acceptum fero Episcopi atque Principis Paderbornensis hodie in Germania nostra incomparabilis Ferdinandi, liberali dono) reperitur, sed tantum Epistola S. Augustini centesima nona, quam sanctorum monialibus piavivendi instituta prescribuntur. Acquiesco scilicet in judicio Bellarmini, cujus haec sunt verba: Ex tribus Regulis sola est tercia S. Augustini, sed feminis datan non viris; habetur enim epistola 108, reliqua due non videntur Augustini. Recentior sane est Hugo nostras,

quam

quām ut possit haberi idoneus testis & judex librorum S. Augustini. Taceo dubium esse, sitne libellus ille Hungonis nec ne. Multo minūs verò Humbertus tanquam testis aut censor admitti potest: utpote qui vixerit demum seculo tertio decimo Ordinis prædicatorum monachus.

SUPPLEMENTVM XXXV.

Ad pag LXVII.

IN Dissertatione non tam ipsa Ansegisi verba, quām eorum mentem recitavimus. Attulimus tamen illa paulò ante in Supplemento. Epistolam Caroli Magni de Scholis Monasteriorum & Episcoporum, lectu sanè dignissimam, quam ille generalem esse voluit ad omnes Episcopos & Abbates, quia *Tomo secundo Conciliorum Gallia pag. 121* inseruit optimè de re literariā meritus Sirmōndus, de promptam ex Codice Metensi, officii nostri ratio postulat etiam hīc exhibere. Est autem seorsim hæc missa ad Baugolphum Abbatem Fulensem secundum: nisi quod per oscitantiam scriba sub finem adjecterit clausulam illam epistolarum, quæ ad Metropolitanum aliquem tunc sunt directæ. Id quod etiam Sirmōndus observavit. *Karolus gratia Dei Rex Francorum & Langobardorum, ac Patrius Romanorum, Baugulfo Abbotti, & omni congregatiōni, tibi etiam commissis fidelibus oratoribus nostris, in omnipotentiis Dei nomine amabilem direximus salutem.* NOTVM igitur sit Deo placitæ devotioni vestræ, quia nos unā cum fidelibus nostris consideravimus usile esse, ut Episcopia & Monasteria, nobis Christo propitio ad gubernandum commissa, præter Regularis vita ordinem, atque sanctæ Religiones conversationem, etiam in litterarum meditationibus, eis qui donante Domino discere possunt, secundum uniuscujusq; capacitatem, docendi studium debeant impendere: qualiter sicut Regularis norma honestatem morum ita quoque do-

pp 3

sendi